Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30707
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

iuramento et sit liber. Si autem reus fuerit, iudici det decem ta-
lenta. Si autem denarios non habuerit, amputabitur sibi manus.
Si autem iterato post emendam perscriptum eundem furavit, et hoc
iudex cum septem convicinis illius probavit, persona sua et
res sue stent in ordinacione et potestate consulum et iudicis
civitatis. Item si aliquis aliquem in quacumque causa vel lesi-
one offendit, et ille debitam satisfactionem et statutum
pene propter hoc actori coram iudicio voluerit exhibere, et
passus iniuriam contumaciter illud renuerit acceptare,
iudex statutum pene accipiat, et per quatuordecim dies
ter sibi offerat testimonio duorum vel plurium personarum,
qui si infra illum terminum non acceperit, iudex redigat
id in usus suos, et lesus ille ut transgressor contumax
proscribatur. Et si in proscriptione deprehensus fuerit, amputa-
bitur sibi manus.

Item statuimus quod quicumque virginem seu mulierem
vi oppresserit vel rapuerit, et illa infra quatuordecim
dies testimonio duorum credibilium virorum se clamasse
probaverit cum opprimeretur vel raperetur, convictus plectetur sen-
tencia capitali. Sed si illa in probacione defecerit, ille contra
quem agit sui solius iuramento se expurget prestito sacra-
mento. Si autem infra quatuordam dies eadem mulier
in sue potestatis arbitrio libero constituta querimoniam non
movet, postea nullatenus audiatur. Item de communibus
mulieribus nullum statutum facimus quia indignum esset ipsas
legum laqueis innodare. Volumus tamen ne ab aliquo
indebite offendantur. Sed offensor pro qualitate offen-
se ad arbitrium iudicis et consulum corrigatur.